



**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

Cap. XIII. De profecione fratrum Romam, & de peregrinatione S.
VWillibaldi ad terram sanctam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

*Transfertur
S. Richardus.*

pus quæritantes, & quæsitum inuenerunt, honorificè clausura nobili seratum, cum epitaphio exprimente personam ex nomine, opera virtutum, & gesta miraculorum continente, sanctissimum corpus collegio sanctorum supra memoratorum associantes, honorem sanctis debitum eidem suppliciter impenderunt.

CAPVT XIII.

De profectioe fratrum Romam, & de peregrinatione S. Willibaldi ad terram sanctam.

Nunc consequentia lecturæ deponit, ut patre præmisso ad regna cœlestia, stilū scribendi ad filios conuertamus, quibus, ut narratur, cordibus sacra immisione illapsum est, ut limina beatorum Petri, videlicet Principis Apostolorum, & Pauli Coapostoli Doctoris gentium inuiserent; quatenus omnis eorum actio Apostolica benedictione petita, firmiori radice roborata consisteret. Est enim Roma apex auctoritativæ potestatis, fons spiritualis sapientiæ, puteus

*Encomia Ro-
ma.*

puteus, gratiarum & indulgentiæ. Patris igitur testamentum, quod eis sub forma paupertatis & meritorij laboris condiderat, exequi cupiētes, inde profecti arduos alpium vertices petierunt, angustos itineris colles niuis & glaciei nitore micantes, ac mortem transeuntibus minitantes, oratione vicerunt. Et vt syncopa in narratione locorum, quæ sunt in transitu, vtamur, Romam peruenierunt, & Apostolorum Petri & Pauli præfidiis se commendantes, immensas gratias viuificæ Trinitati referebant; Ouium quoque Christi pastori, quod de innumeris terræ & ponti periculis fuerunt liberati: *Vbi à Gregorio III. qui tūc Apostolicæ sedis præsidebat, benignissimè suscepti, orando & loca sanctificationum circumeundo aliquantum temporis deuotissimè exegerunt.

Romam veniunt Villib. & VVunib.

** Vide lib. 1. Observat. c. 11.*

Factum est autem, vt S. VVillibaldus, & quidam ex sociis immenso desiderio accenderentur, quatenus Hierosolymam irent, & loca in quibus Deus homo conuersatus esset, viderent. Beatus namq; VVillibal-

S. VVillibaldos proficiscitur Hierosolymam.

S. VVunibal-
dus Romæ re-
manet ppter
morbum.

2. Cor. 12.

baldus sublimioris ac rigidioris vitæ fasti-
gium scandere sedulus anhelabat; virtutes
de die in diem in se virtutibus cumulans,
cœpit iam peregrinus seculo, iterum pere-
grinari; quod & ita factum est, S. VVunc-
baldo propter infirmitatem magnam, qua
tunc detinebatur, Romæ relicto. Vtrumq;
enim fratrem, Deo permittente, infirmitas
valida inuaserat, ad meritum patientiæ, &
corroborationem spiritus, secū dum quod
dicit Apostolus, *cū infirmor, fortior sum;*
nā virtus in infirmitate perficitur. Libenter
igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut
inhabitet in me virtus Christi. Sed B. VVilli-
baldus ab hac infirmitate prior resipuerat:
& hinc fuit, quod, relicto fratre, ad alia vir-
tutum exercitia festinabat, & iter Hieroso-
lymitanum cum sancta comitiua deuotus
aggreditur.

CAPVT XIV.

*Quomodo B. Bonifacius S. VVunebaldum
Romæ inuentum secum abduxit.*

Nterea B. Bonifacius sanctæ Mogun-
tinæ sedis Archiepiscopus, Ecclesia-
stica